



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Munere Concionandi, Exhortandi, Catechizandi - Continens non tantùm praecepta ad artem concionandi discendam accomodata, sed etiam Ideas & Conceptus practicos pro Concionibus in Festis B. V. & SS. Dedicationis, Patrocinij, Novi Anni, Paschatis, Parasceves; item in Primitiis Sacerdotum,

...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Sextus Locus. Per Varias Compositiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48347](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48347)

Potro sicut comparatio fieri potest respectu ejusdem, ita & respectu diversorum institui potest v.g. dum lib. 1. Machiab. cap. 2. dicitur: intendit in præceptum legis, amplificari potest hæc sententia dicendo. Quidam in præcepta legis intendunt per contemplationem, quidam attendunt per sollicitudinem, quidam prætendunt per simulationem, quidam contendunt per emulationem.

SEXTUS LOCUS.

Per varias Compositiones.

Ex hoc loco sic fit amplificatio. Occurrit v.g. illa sententia Habac. 3. *Egressus est in salutem populi sui*: Super quam dicit Concionator, Dominus egressus fuit è cælo, ingressus fuit in mundum, regressus in cælum, supergressus universa. Item super illam sententiam ad Rom. 6. *quid dicemus, Fratres, permanebimus in peccato?* dicat, quidam *stant seu permanent in peccatis*, à futuris quidem abstinentes, sed pro præteritis non satisfacientes; quidam autem in peccatis *sedent*, partim in peccato remanentes, partim verò ab ipso surgentes; quidam autem in peccato jacent omni tempore in ipso remanere proponentes; quidam denique in peccato ambulant, de peccato in peccatum progredientes, quæ omnia paulò clariùs explicanda, & fusiùs ostendenda sunt.

SEPTIMUS LOCUS.

Per rerum proprietates.

Ex quo sic fit amplificatio, Indagantur proprietates alicujus rei, & explicantur, ac vel alicui Sancto, de quo fit Concio, vel ad mores applicantur. sic si Concionator veller explicare illam sententiam Christi. Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram, &c. quid volo, nisi ut accendatur?* rectè per hunc ignem intelligeret Charitatem, quia uti ignis inter elementa, ita hæc inter virtutes est præstantissima. Item semper tendit sursum ad Deum, producit levitatem ad quævis opera perficienda, calefacit, omnia vincit, illuminat ut ignis &c. ad hunc modum etiam pertinet dilatio Sermonis, per ea, quæ solent rem, de qua agitur, comitari, ut si quis in Concione de judicio mentio-